



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

30. An S. Wicbertus cum Willibrordo transfretauerit in Frisiam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

104 DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS  
brordum enumerat. Quod ad Leydensem attinet qui ab  
alijs videtur discrepare, obseruandum illum non tam recē-  
sere eos, qui cum Willibrordo ex Hibernia soluerunt, quā  
aliquos eius Principales cooperatores, quales potuerunt a-  
liqui postmodum superuenisse.

Petes. Quinam sint illi duodecim quos S. Egbertus Fri-  
sij erudiendis emisit? Res. communiter enumerantur  
hi: Willibrordus, Swibertus, Wigbertus, Acca, Wilibal-  
dus, Winibaldus, duo Ewaldi, Werenfridus, Marcellinus,  
Lebwinus Presbyter & Adelbertus Leuita. Aliqui omif-  
so aliquo nominatorum apponunt Ingelmundum aut  
Werwinum vt quidam Cornelius Hornanus Canonicus  
Regularis in mappa historiali edita Rheno-traiecti anno  
1537.

Enumerationes hæ, quarum prior sumpta est ex Pseudo-  
Marcellino, qui sub nomine S. Marcellini vitam S. Swi-  
berti tradit, turgent difficultatibus quas in particulari iam  
cogitamus discutere. Willibrordum & Swibertum Egberti  
fuisse emissarios omnino est certum, adtestante Beda & du-  
bitare nefas. Adelbertum & Werenfridum conuauigasse,  
non suppetit ratio cur dubitemus. De ceteris fit

#### DISSERTATIO XXX.

An S. Wicbertus cum Willibrordo transfretauerit in  
Frisiam.



Sferitur à multis in sodalitiis eiusdem  
aduenientis fuisse Wicbertum & quidē  
eum qui per oraculū diuinum, deten-  
to domi S. Egberto, audaciori animo in  
Frisiam uelificauit, ac biennio in steri-  
li prædicatione consumpto in Hiber-  
niam redijt, narrante Beda lib. 5. cap.  
10. Eundem Martyrio sublatum à Rad-  
bodo

Radbodo Rege in Insula Fostilandia. Fidem suam adducunt, non rationem. His plurimum oblectatur ipsa relatio eiusdē Bedę l. 5. c. 10. quę est talis: *At vero unus de socijs eius vocabulo Wichbertus, cū esset & ipse contemptu mundi ac doctrina scientia insignis (nam multos annos in Hibernia peregrinus Anachoreticam in magna perfectione vitam egerat) ascendit nauem & Frisiā perueniens duobus annis continuis genti illi ac Regi illius Radbodo verbum salutis predicabat, neque aliquem tanti laboris fructum apud Barbaros inuenit Auditores. Tunc reuersus ad dilectā locum peregrinationis, solito in silentio Domino vacare cepit, & quoniam externis prodesse ad fidem non poterat, suis amplius ex virtutum exemplis prodesse curabat. Quibus verbis, maxime posterioribus, quiuis intelliget Wichbertum illum ex Frisia reducem domi ha sisse, patrię studuisse, nec amplius Frisiam cogitasse. Secundò, cur alias Beda mentionem non fecisset reuersionis eius in Frisiam, sicut fecit itionis in eam, & reuersionis ex ea; cum hoc ad materię explicationem, ad laudem S. Wichberti plurimum ponderis habuisset? cur gloriam Martyrij eius vel celasset vel ignorasset? 3. Wichbertus ex diuturna infrugifera verbi Dei seminatione sentiebat se non suffragante Deo laborare, id genus vocationis sibi nō destinari, præcedentibus præsertim oraculis quę Egbertum domi detinuerant & pœne ipsum, qui tamen propria audacia se periculo cōmisit. Cur igitur iterum inuito coclo se tali operi ingessisset? 4. Verba illa Bedę initio capituli 11. *Tentauit adhuc (Egbertus reuerso Wichberto) in opus verbi Dei mittere illic Sanctos & industrios;* meritò ingerunt Egbertum alios à se & Wichberto misisse. Cur enim Wichbertum remitteret, à quo fructum non viderat nec sperare dabatur, qui externis prodesse ad fidem non poterat? 5. Si remisisset Wichbertum, cū ille contemptu mundi ac doctrinę scientia insignis, qui multos annos in Hibernia*

O

pere-

peregrinus Anachoreticam in magna perfectione vitam egerat, & quidem ante & diutius quā Willibrordus quantum apparet: qui in prædicatione Frisica iam erat exercitatus, locorum, populorum gnarus, cur, inquam, ille non sit alijs præfectus, prælatus, cur non ipse Dux gregis? Certe Marcellinus, potius Pseudo-Marcellinus, in vita S. Swiberti, cui contrarij maximè innituntur, pronuntians S. Wicbertum inter Comites S. Willibrordi cap. 6. eiusque enatrans in Fostilandia Martyrium cap. 7, non asserit fuisse eundem qui ante Willibrordum in Frisia prædicarat, quæque cap. 5. è Frisia ingloriè remeantem præmiserat: Imo hæc subticendo, aut non exprimendo, contrariū indicat: cur enim non addidisset eundem, vel simile aliquod relationum? Ex his concludo & repeto, venerit non venerit aliquis S. Wicbertus cū S. Willibrordo, intendo cōtendoque non fuisse illum à Beda commemoratum.

Si lubeat admittere aliquem S. Wicbertum cum illo vna aduenisse martyriūque in Fostilandia oppetijsse, (quod omnino non nego, potuit namque fuisse binomius, ac sub alio nomine recenseri) habemus eadem tempestate tres S. Wicbertos Germanicum solum radijs suarum doctrinarum illustrantes. 1. Wicbertum apud Bedam l. 5. c. 10. de quo iam disceptauimus, cuius vitæ exitum ignoramus. 2. Wicbertum Martyrem S. Willibrordi commilitonem. 3. Sanctum Wicbertum Confessorem Abbatem primum Fritillariensem à S. Bonifacio Germanorum Apostolo constitutum, defunctum anno 747. Cuius vita est in Surio recentiori 13. Augusti quo, die pariter natalis secundi Wicberti celebratur. Talia ornamenta debemus Britannię SS. DD. ad Germanorum felicitatem prodigæ.

Obseruandum, Pseudo-Marcellinum cap. 5. vitæ S. Swiberti asserere, Egbertum Archiepiscopum Eboracensem,  
dum

dum in Frisiam proficisci prædicationis causa cogitaret, & oraculo Diuina detineretur domi, eò misisse Wicbertum canonicum suum, scilicet, Eboracensis Ecclesiæ. Vbi tot poenè sunt falsa, quot verba: Egbertum qui Frisiam meditabatur & domi cælesti oraculo detinebatur vt Beda narrat lib. 5. cap. 10. non fuisse Episcopum aut Archiepiscopum multo minus Eboracensem supra dissertatione 13. clare est probatum. Quin ea quæ Beda dicto capite narrat, nullo modo convenire Egberto illi qui fuit longo post tempore Archiepiscopus Eboracensis, Anglicanæ euincūt historiæ.

Wicbertum Canonicum in Eboracensi Ecclesia egisse, aut ex Eboraco in Frisiam emissum, apertè etiam refutant verba Bedæ ibidem mox prolata, scilicet, Wicbertum fuisse contemptum mundi insignem, multos annos in Hibernia peregrinum Anachoreticam in magna perfectione vitam egisse idque sub aut cum Egberto Presbytero & ab eodem Egberto ex Hibernia in Frisiam esse destinatum.

Pergit inde ille Marcellinus addens post biennij frustraneam Euangelizationem, Wicbertum in Angliam rediisse, scilicet ad suam Ecclesiam, ad suum Archiepiscopum Eboracensem; quod similiter manifeste refellit Beda ibidè referens: cum nullum tanti laboris fructum apud Barbaros inuenisset Auditores, tunc reuersum ad dilectæ locum peregrinationis, quierat in Hibernia, solito in silentio Domino vacare cœpisse & quoniam externis prodesse ad fidem non poterat, suis curasse amplius ex virtutum exemplis prodesse. Sed voluit figmentorum fabricator plasma suis membris proportionatum conficere. Quia enim Egbertum Archiepiscopum creauerat, voluit etiam Wicbertum Egberti subditum, siue consocium, canonicum crea-

re. Quos enim Episcopus sub se & in Ecclesia sua haberet nisi Canonicos? quem ex suo gremio potissimum emitteret, nisi Canonicum? Ita falsitas & mendacium etiam querunt suam conformitatem.

## DISSERTATIO XXXI.

## De Acca.

**S**ecundum multos eadem nauis cum S. Willibrordo Frisiae arua tenet Acca ille S. Wilfridi in Episcopatu Hagulstaldensi successor, Venerabilis Bedæ Mecenas. Argumentum nullum video præter iam sepe citatum textum Marcellini, potius Pseudo-Marcellini cap. 10. Vbi est, Accam cum S. Swiberto in Episcopum consecrando perrexisse è Frisia in Britanniam, ibidemque reuertente S. Swiberto detentum, à S. Wilfrido ordinatum in Episcopum Hagulstaldensem. Idem confirmatur cap. 14. Vt nostrum iudicium hac de re aperiamus, placet ipsum Accam ad viuum delineare penicillo ipsiusmet Bedæ in historia Anglicana varijs locis.

Acca à pueritia in Clero Sanctissimi ac Deo dilecti Bosæ Eboracensis Episcopi, ( fuit is substitutus in locum S. Wilfridi expulsi ) nutritus atque eruditus est. Absolutâ pœdiâ, ad Wilfridum Episcopum spe melioris propositi adueniens, omnem in eius obsequio vsque ad obitum illius expleuit ætatem. Bedæ lib. 5. cap. 21. Cum Wilfrido Romam venit anno 696. ibidemque apud Sanctissimum Frisonum gentis Episcopum Willibrordum cum suo Antistite Wilfrido morabatur eumque crebro audiebat quæ de mirandis Reliquiis S. Oswaldi Regis ac Martyris in Britannia Prouincia gesta fuerant narrantem. lib. 3. cap. 13.

Romæ